



# Disputatio theologica de verbo Dei principio religionis

<https://hdl.handle.net/1874/42442>

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

VERBO DEI

PRINCIPIO RELIGIONIS

*Quam,*

Deo benedicente

Sub PRÆSIDIO


PHIL. JOH. TILEMANNI

d. SCHENCK, Th. in Schola Illustri  
& ecclesia D.

*Pro viribus defendet*

GUILIELMUS RAPPARDUS,  
Clivō - Vesaliensis.

*Ad diem 6. Iunij, loco ac horis solitis.*



HAMMONÆ,

Per BERNHARDUM WOLPHARDT,  
ANNO CLXIX LXXII.



ad

Clarissimus, Admodum Reverendus & Doctiss.  
simus Viris,

DN. PHILIPPO - JOHANNI TILEMAN  
d. SCHENCK, SS. Th. Doctori ejus-  
demq; Facultatis in Illustri Hammonen-  
sium Athenæo Profess. ordin. V. D. O-  
ratori facundissimo.

DN. JOHANNI MEIERO, SS. Th. in Illu-  
stri Hammon. Gymnasio Professori extr.  
Philosoph. Eloq. & Linguarum Orient.  
ordinario solertissimo.

DN. BERNHARDO ERASMO AVER-  
MAN, V.D.M. inter Hæminon. Vigilantissimo.  
Præceptoribus & Fautoribus meis in æternum  
venerandis.

NEC NON

Amplissimus, Humanissimis Integerrimisq; Viris.

DN. MATTHÆO KLUGH S Cognatis

DN. JOHANNI KLUGH S meis dile-  
ctissimis, Detiq;

Doctrinæ & probitate Ornatiſſimis Viris qu-  
entibus.

DN. PETRO CARPIO, SS. Th. Candidato  
dignissimo.

DN. ANTONIO - HERMANNO HAT-  
TENKERL, SS. Th. & L. St. indefesso.

Amicis meis nunquam non grato  
animo colendis.

Positio[n]es hæc Theologicas in debiti ho-  
noris & nunquam moritura obser-  
vante monumentum consecratæ

H. XXXI. b. Respondens.

CAPUT III,

De

REVELATIONE ET  
SCRIPTURA.

THESIS I.

**Q**uam ratio assequi nequit Religionem, eam Theologia ex Revelatione & Scriptura demonstrat.

II. *Revelatio, Verbum Dei est. Non illud substantiale, Joh. 1: 1. sed, veritas ac voluntas Dei, ad Numinis gloriam, hominum vero salutem patefacta.* Joh. 17: 17. Deut. 12: 8. Mat. 10. 32. 33.. Rom. 15: 4.

III. *Multis modis cum Deus se patefecerit. Heb. 1. v. 1, verbum Dei, latissime sumptum, omnem complectitur revelationem; sive visio illa sit, Num. 12: 6. Gen. 32: 1. 2. sive auditus, 1. Sam. 3: 4. 5. 6. &c. sive utrumq; sive per symbola & similitudines, Ezech. 1. & 10. & 40, vel mandato expressa;*

presso : vel per quietem, ut Gen. 20. & 28.  
 Matth. 2, vel vigilante objecta, Dan. 7. E-  
 zech. 1. vel inspiratione interna, ἐνθυσιάσμῳ  
 Joh. 14. 2. Pet. 1: 2. vel externa allocutione:  
 Jon. 1: 1. 2, vel in corpore, vel ἐνσάρκει, 2.  
 Cor. 12: 4. 3. idq; sub præsentia symbolo ex-  
 traordinario & singulari, Ezech. 1. vel fami-  
 liari, sicuti vir cum viro loquitur, ut fa-  
 etum Mosi.

I V. Speciali platiè ratione per Urim &  
 Thummim Deus se revelabat, tentorio &  
 templo primo stante; Exod. 28: 30. Verum,  
 hæc casus extraordinarios, inextricabiles, &  
 futuras res concernebat magis, quam doctri-  
 nam salutis.

V. Revelationis, absoluta est necessi-  
 tas; hinc etiam in statu innocentia eâ non  
 caruit homo. Gen. 1: 28. & 2: 15. 16.

VI. In peccatum verò prolapsum &  
 errantem, verbo in salutis vias ducere, ex mi-  
 sericordiâ, dignatus est Deus. Ps. 147. 9. &  
 hoc verbo indigere se sentit peccator. Ps. 119.  
 Ps. 143. 10.

VII. Non simul omnia, sed grada-  
 tis in mysteriorum salutis revelatione proces-  
 sit; cœconomia id flagitante, Heb. 1: 1. Es.  
 23. 10: Sed temporibus ultimis, omne consili-  
 um per Messiam patefecit, qui reuelare debuit  
 omnia Joh. 4: 25.

VIII. Verbum Dei usque ad Moysen fuit ἄγερον: quo tempore frequentius apparabat hominibus Deus, vel inspirabat Patriarchas, vel precibus eorum respondebat. Quæ gratia, foederatorum paucitati, quos longevitate beabat insigni, poterat sufficere.

IX. Quā sententiā neutiquam patrocinamur Judæis vel Pontificiis, verbum ἄγερον, post consignatum canonem, intempestivè urgenteribus.

X. Sed fidelium numero crescente, malitia Satana, atq; hominum accedentibus ratiociniis variis; scribi voluit Deus verbū suū, ut regulam̄ ses canonem ante oculos haberent perpetuum; Deut. 31: 19. 20. 21.

XI. Id definitus; *Verbum Dei, à viris Spiritu Sancto inspiratis consignatum, ad homines in vera religione erudiendos.* 2. Tim. 3: 16. 17. 2. Pet. 1. v. 21. Joh. 3: 31.

XII. Fidelis, dubitare non potest, scripturam esse Dei Verbum: sicuti dubitat nemo, cui aperti oculi, solem esse lumen diei. Cum ipsi Deo in scripturis loquenti, ejusq; amanuensibus credendum: quibus accedit testimonium ecclesiaz, depositariz.

XIII. Infideles verò, profani & athei (si qui sunt, vel se simulant tales) ipsius scripturæ fulgore percelli, fateor, possunt. tamca

tamen eam cœu verbum Dei recipiant, hac argumentorum serié convinci facilius posse persuasum nobis est. 1. Si apparitiones Dei, in Sina, in tentorio, in carne, ad Jordaniem, in Thabor ipsis opponantur; ubi ex cœlis, coram autibus milium confirmavit, quæ in lege & Euangelio scripta sunt. 2. Sanctitas doctrinæ si spectetur, quam Gentilium ratio admirata est semper & imitata, sed à Satana & impiis impugnata, quod in nulla religione, nulli alio scripto contigit. 3. Vaticinia clarissima atq; innumera de rebus longè post futuris allata, divinitatem scripturæ arguunt. 4. Mysteria quæ ibi panduntur, rationi planè in accessa. 5. Antiquitas hujus Revelationis, quæ ante omnia scripta extitit; & quod ex hoc superstitione gentes plerisque, religiosas sibi fabulas finxerint. 6. Veritas simplicissima, nullo errore, nulla labore turpis: quod in nullo scriptore alio. 7. Styli maiestas & perspicuitas. 8. Quæ ab effectu petuntur rationes, sunt efficacia in coercendis impiis, convertendis totius mundi habitatoribus, & vivâ consolatione quâ fideles confessores erigit in extremis quibuscumque periculis. 9. Scriptorum accedit sanctitas, ingenuitas, miracula, ac martyria. 10. Tandem adversariorum id probant testimonia.

XIV. Hæc argumenta, convincere adversarium, & motiva ad fidem recipiendam esse

esse possunt. Verum, fidei ingeneranda, &  
ut recipiat quis ad salutem verbum Dei; haud  
quaquam sufficiunt; Sed interna Spiritus San-  
cti illuminatione opus. Fatente Huetto dem.  
evang. præfat. §. 4. i. Joh. §: 6, 10. item cap.  
2. 17. Luc. 24: 25. Act. 16: 14. i. Thes. 2: 13.

X V. Pessimè quocirca sit ab iis, qui  
salutarem hanc Spiritus Sancti persuasionem  
criminantes, eam ceu melancholicam, vel  
enthusiasticam, vel circulariam rident, ejusq;  
loco ecclesiæ testimonium substituunt.

X VI. Cum itaq; scriptura sit Verbum  
Dei, ut tale recipiendum, & summa illi com-  
petit auctoritas, ceu supremæ ac infallibili  
regulæ, in definiendis fidei articulis, & de-  
cidendis controversiis. Quam auctoritatem  
Pontifici falsò tribuerunt ecclesiæ, seu Pontifici;  
hoc ipso homines efferentes supra Deum, &  
judices se legis divinæ constituentes. Es. 8:  
20. Luc. 16: 29. i. Cor. 2: 4. §. Joh. 7: 17.

X VII. Haud disparia moliuntur So-  
ciniani, ad rationis tribunal, ceu normam &  
judicem supremum, in scripturæ sensu deca-  
niendo provocantes.

X VIII. Est verò dissensionum ac  
contradictionum expers Scriptura Sacra: cum  
Veritatis Spiritus illam dictaverit; in quo falso  
nihil esse potest. Joh. 17. §. 17. Ps. 19. §. 8. 9.  
Quod similiter contra Pontificios & Socinia-  
nos tenendum, qui diversa nonnulla, &  
appa-

Apparentes plurimas contradictiones; non  
sine Dei contumelia, & infirmorum offensio-  
ne, conquirunt.

XIX. Scripturæ divinitas enervatur, si  
absq; mandato Dei expresso, fertutis tantum  
occasiōnibus exarata perhibetur; ut sit à Pon-  
tificiis. Cum & externo mandato & internā  
inspiratione ad scribendum compulsi legantur  
*Exod. 17: 14. Es. 8: 1. 2. Pet. 1. 22.*

XX. Primo omnium Deus legem di-  
gito exaravit in tabulis. Postea Prophetarum,  
Evangelistarum & Apostolorum manu usus;  
qui omnes inspirationis sensum *2. Pet. 1: 21.*  
ac certitudinem habuere, *Luc. 1: 3. 4.* quam  
ex propheticō charactere *1. Sam. 3: 19.* ( qui  
qualis fuerit vix constat nobis, neque forte  
apud omnes fuit idem ) evidenterissimo & in-  
fallibili agnovere.

XXI. Neq; errarunt in scribendo, *Joh. 16: 13.* neq; errare potuerunt, *Act. 28: 25.* in  
opere hoc divinitus sibi commisso, ne qui-  
dem in minimis.

XXII. Etiam, quem perfectum de-  
dit, ab erroribus incorruptum servavit V. &  
N. Testamenti canonem Dei providentia &  
bonitas. Ita ut sentiamus à receptis lectioni-  
bus & punctis non esse recedendum. *Mat. 5: 18.*

XXIII. Sine ratione itaque Judæi cor-  
rupti textus accusantur: cum illud vix possibi-  
le fuerit, minus hæreticis, vel gentilibus.

F I N I S.